Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 641
Quelle:
Copyright:

Quare diversis argenti aurique metallis,
Queis forma ac moles eadem est, par addito pondus;
Argento solum id crescit, nihil additur auro.
Sextantes igitur, quos (quot?) *tu superesse videbis,*
In totidem dices aurum consistere libris,
Parsque itidem librae sextantis parte notetur.
Quod si forte parem corrupto fingere formam
Argento nequeas; at mollem sumito ceram,
Atque brevis facilisque tibi formetur imago
Sive cybi (cubi) *seu semiglobi, teretisve cylindri,*
Parque ex argento simuletur forma nitenti,
Quarum pondus item noscas. Fac denique dragmas
Bis sex argenti, cerae tres esse repertas,
Ergo in ponderibus cerae argentique liquebit,
Si par forma siet, quadrupli discrimen inesse.
Tum par effigies cera simuletur eadem
Corruptae, cujus fraudem cognoscere curas.
Sic justum pondus, quod lance inveneris aequa,
In quadruplum duces, quadrupli non ponderis esse,
Si foret argenti moles, quae cerea nunc sit.
Cetera jam puto nota tibi; nam diximus ante,
Quo pacto furtum sine aquis deprendere possis.
Haec eadem in reliquis poteris spectare metallis.

XXII. *fol.* 71. *Incipit sermo sancti fausti ad monachos de obedientia et humilitate.* Tò *sancti* eadem quidem manu, sed supra lineam adjectum est; Vir enim hic Sec. V. Episcopus *Rejensis* sive *Regiens.* in *Gallia* laudatur ab his, culpatur ab illis. Adi *Franciam lit.* T. II. p. 585. Initium porro Sermonis: *Instruit nos atque hortatur sermo divinus* &c. Extat *Fausti* nomine in *Bibl. PP. Lugd.* T. VIII. p. 544. et *Eusebii Gallicani* T. VI. p. 657. utrobique productior; nobis enim in his terminatur verbis: *violentia ipsa consuetudinis et impetus passionis.* Multum praeterea variat lectio, quod et de sequenti intelligendum est.

XXIII. *fol.* 73. p. 2. *Incipit sermo Ausligutinis ad monachos.* Nescio, quid caussae impulerit Scriptorem ad turbandas nominis literas, nisi suspiceris, *Faustum* in *Augustinum* transformare voluisse. Quamvis enim *Sermo* hic T. VI. *Bibl. PP. Lugd.* p. 659. inter *Homilias Eusebii* dicti *Gallicani* continuo post praecedentem legatur, ita tamen inter *Eusebium* istum et *Faustum* nutant Critici, ut credibile sit, et hunc *Sermonem* a *Fausto* tunc Abbate *Lerinensi* ad Monachos suos habitum fuisse. Incipit is: *Sicut a nobis dominus pro suscepti officii necessitate* &c. et finit: *integrum in nobis iudicaturus inueniat D. N. J. C.* &c.